

Simon Zelotes. *Sanctorum, Sanctam Ecclesiam Catho-*
communem, *cam,*

Remissionem peccatorum. Sanctorum Communem.

Judas Jacobi. *Carnis resur-* *Remissionem peccatorum.*
rectionem.

Matthias. *Vitam eternam, Carnis resurrectionem, & vi-*
Amen. tam eternam.

(secundum aliquos Thomas)

Vides duos vix in duobus membris convenire, unde incertitudo hujus opinionis oppidò patet, Approbamus ergò judicium Durandi in lib. III. Dist. 25. q. 2. n. 9. Alii assignant distinctionem & numerum articulorum secundum numerum Apostolorum, qui primum symbolum condiderunt, sed quia talis assignatio per accidens est, & minus artificialis, ideo dimittatur.

XII. Illud verò certum est & indubium, licet eodem hoc ordine & totidem verbis Symbolū ab Apostolis compositum esse probari nequeat: ad Apostolos nihilominus & ad Sp. S. per Apostolos loquentem & scribentem, non tantum quoad sensum (quod cum aliis veris Symbolis, Symbolicisq; libris ipsi commune) sed etiam quoad ipsa verba referendum esse; Et ut ex Apostolicis concionibus conceptum, idem quod acceperat, veluti Echo fideliter referebat: ita postea id ipsum ex Scripturis Apostolicis itidem descriptum, & in libros relatum merito Apostolicum censeretur debet. Quod disertis verbis asserit Eusebius Gallicanus. T. 5. Bibl. Pat. part. 1. p. 552. Hom. de Symbolo; de canonicis itaq; lectionibus facta est in unum pretiosa collatio. Ecclesiarum patres de populorum salute solliciti ex diversis voluminibus Scripturarum collegerunt testimonia, &c. Idem asseritur lib. 1. in Symbolum T. 9. Aug. & Hom. 181. de temp. T. 10. Aug.

XIII. Atq; ideo summæ sacrosanctæq; authoritatis apud omnes Christianos semper fuit, est & erit, cum nihil aliud sit quàm ipsa fides Apostolica Apostolorum verbis repetita, & sicut in concionibus & scriptis, ab Apostolis doctoribus; ita in Symbolo & Confessione à nobis eorum auditoribus prolata. Ut jam nil dicamus de universalitate ejusdem
tum